

Philosophia Professor in Rhemensi Jesuitarum Collegio; nec dubium, quin pariter in Sedanensi, & Carolopolitano Collegiis idem error diffeminetur a Sociis, illic Philosophia Magistris.

En excerptum damus Scriptorum Rhemensis Professoris, quæ ex dicantis ore excerpta sunt, & a tribus illius discipulis representata, ac diligentissime cum diversis illorum exemplaribus sunt collata.

ASSERTIO V.

Moralitas actus est denominatio extrinseca actui, ducta ab advertentia agentis ad regulam morum.

Probatur. Posita præcise advertentia agentis ad regulam morum, actus fit moralis; sublata, actus non est moralis: ergo moralitas actus petitur extrinsece ab illa advertentia.

Consequentia patet. Antecedens probatur; quia in tantum actus dicitur moralis, in quantum agens advertit, utrum actus a regula morum imperetur, aut prohibeatur, aut permittatur.

Res illustratur exemplo. Fac enim, V. G. Petrum die veneris comedere carnes, ita tamen, ut primo quadrante ad nullam omnino regulam advertat, neque prohibentem, neque permittentem; sequente quadrante advertat: tunc actus ille primo quadrante non erit moralis, sed pure naturalis, perinde ac si dormiendo comederet; secundo vero quadrante idem ille actus fiet moralis, & quidem malus, si advertat ad regulam prohibentem. Idem porro dici debet de omni alio actu.

RESOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Objicies. Moralitas est aliquid intrinsecum actui: ergo non est denominatio pure extrinseca. Respondeo, nego antecedens. Probatur. Moralitas actus est dependentia actus ab advertentia agentis ad regulam morum: sed hæc dependentia est intrinseca actui, sicut omnis alia relatio: ergo moralitas est aliquid intrinsecum actui.

Respondeo. Nego majorem. Nam moralitas dependet quidem ab advertentia, sed non est ipsa dependentia; sicut denominatio vis in pariete dependet quidem a visione, sed non est dependentia a visione.

Instabis 1. Atqui moralitas non est tantum denominatio, ducta extrinsece ab illa advertentia: Ergo est ipsa formalis dependentia actus a tali advertentia.

Respondeo, nego subsumptum.

Probatur. Plures actus independenter ab advertentia sunt morales; ergo moralitas non est denominatio, ducta extrinsece ab illa advertentia. Respondeo, nego antecedens.

Probatur. Ille actus est moralis, qui habet vim inducendi bonos, aut malos mores; sed plures actus independenter ab advertentia habent hanc vim: ergo plures actus independenter ab advertentia sunt morales.

Respondeo. Distinguo majorem. Qui habet vim inducendi bonos aut malos mores formaliter, concedo: fundamentaliter tantum, nego mal. & distinguo minorem. Plures actus independenter ab advertentia habent hanc vim, id est, habent vim inducendi bonos, aut malos mores fundamentaliter, esto; formaliter, nego minorem, & distinguo consequens. Ergo plures actus independenter ab advertentia sunt morales: fundamentaliter, esto; formaliter, nego consequentiam. Dico itaque, eo modo actum esse moralem, quo inducit bonos, aut malos mores. Prædicti autem actus,

quandiu sunt sine advertentia, inducunt tantum mores, fundamentaliter bonos, aut malos: unde sunt etiam tantum fundamentaliter morales.

Instabis 2. Atqui non potest intelligi moralitas actus, nisi per aliquod intrinsecum actui: ergo nulla solutio.

Respondeo, nego subsumptum. Probatur: Bonitas, & malitia sunt quid intrinsecum actui; ergo & moralitas. Respondeo, concedo antecedens, nego consequentiam. Probatur. Bonitas, & malitia sunt differentie specificæ, quarum moralitas est genus; nam actus dividitur in moralem, & in non moralem; & moralis in bonum, & malum; atqui ubi species sunt intrinsece, genus est etiam intrinsecum; ergo, si bonitas, & malitia sunt quid intrinsecum actui, etiam moralitas est quid intrinsecum.

Respondeo, distingo majorem. Bonitas, & malitia sunt species, quarum moralitas est genus, prout genus significat partem essentialem speciei, nego; prout significat quemcumque terminum superiorem, licet accidentalem, & extrinsecum. permitto majorem, & distingo minorem. Ubi species sunt intrinsece, etiam genus est intrinsecum, si per genus significatur pars essentialis, concedo; si significatur tantum terminus superior, licet extrinsecus, & accidentalis, nego minorem, & consequentiam. Certe determinatio vis potest dici genus respectu hujus, vel illius coloris vis; non tamen est propterea denominatio intrinseca, sicuti est denominatio colorati. Permissi supra majorem: Ratio est, quia, sicut actus moralis dividitur in bonum, & malum, sic potest etiam actus de se vel bonus, vel malus dividi in moralem, & non moralem: unde sunt termini excedentes, & excessi; quare neuter est genus respectu alterius.

Inst. 3. Moralitas actus est principium meriti, quod est in actus; ergo est aliquid intrinsecum actui. Respondeo: nego ant. est enim tantum conditio, sine qua actus non esset in actu secundo meritorius. Quod si aliquando dicitur principium meriti, tunc est principium late sumitur pro quocumque requisito ad meritum.

Inst. 4. Libenter quaerem, an denominatio moralis, sicut & liberi, æque primario conveniat actui externo, ac interno? Respondeo, primario, & immediate convenire actui interno, actui vero externo mediate, & secundario. Ratio est, quia in tantum actus externus est liber, & moralis, in quantum imperatur ab interno. Ergo prius est, internum esse liberum, & moralem, quam externum.

Hactenus Patris de Briel verba in scriptis privatim dictatis. Idem nunc audiendus, eandem doctrinam publice propugnans in Thesibus, publicæ disputationi expositis 23. & 24. die mensis Augusti, anni proxime elapsi 1700. In secunda ergo Columna e tribus, in quas Theses dividuntur, hæc Propositio habetur: *Moralitas actus humani nihil aliud est, quam denominatio extrinseca actui, ducta ab advertentia agentis ad regulam morum, unde actus moralis appellatur.* Hucque Professor.

Infinis sim, si omnes ejusmodi Propositiones e publicis Jesuitarum Thesibus referre velim. En tamen adhuc aliam, quam 27. Julii anni 1697. propugnavit Aginensæ Societatis Collegium: *Actum humanum, & moralem distinguimus; alius a libertate est præcise; alius a libertate quidem, sed cum advertentia ad aliquam regulam morum; unde admittimus, posse dari aliquos actus indifferentes, etiam in individuo, & non tantum in specie. In actibus autem moralibus, actui interno efficaci, nihil*

nihil per se loquendo, bonitatis, vel malitiae actus externus addere potest.

CLARA sunt verba, nec interprete indigent, sed Episcopali auctoritate, quæ in tam pestilentem doctrinam Ecclesiasticæ Censuræ gladium exarat, recitatque repulsiore exciæ nuper malæ arboris furculos, Philosophici, inquam, peccati, ab Apostolica Sede proscripti: quod frustra a Theologorum confessibus eliminatum fuerit, si tamen eliminatum, quandiu per Philosophia:

scholas impune grassari, adolescentium mentes inficere, lethaleque virus longe, lateque spargere finitur. Plura non addam, ne Illustrissimum Antistitem sententiam antevertere videar. Servorum est Patrisfamilias de superfermentis in ejus agro zizanias monere: illius est Messoribus suis, seu auctoritatibus Vicariis præcipere, ut zizania colligant, & alligent in fasciculos ad comburendum.

X X V I.

SCRIPTUM REVERENDI PATRIS THOMÆ DE LEMOS,

Paulo V. datum, die 13. Februarii 1605.

Adversus Thomistica, & Calvinianæ doctrinæ collationem, a Ferdinando de Barida in solemni Congregatione recitatam, die 10. Januarii.
Ex Coronelli Commentariis. (1)

Aperta differentia inter Catholicorum doctrinam, de dependentium efficaciam Divine gratiæ, & impiam sententiam Calvini, negantis arbitrii nostri libertatem. Per F. Thomam de Lemos, contra quemdam notum Collatorem, qui eos convenire diffamat.

Bellum, quod olim adversus S. Augustinum publicabatur, quod cum Manichæis conveniret, quia efficaciam Dei gratiam prædicabat, quamvis per eundem Sanctum Doctorem, ac D. Prosperum, & Hilarium, immo Pontifices summos, qui ejus approbarunt doctrinam, feliciter satis fuerit superatum, adhuc temporibus istis, sub nomine quorundam Discipulorum Sancti Thomæ, suppresso nomine Augustini, iterum indicitur, & undique renovatur; dum quidam, contracta arma colligentes, hinc Catholicorum inducunt verba, inde Calvini referunt dicta; & collationes ad invicem facta, eos in ablatione humanæ Libertatis convenire, diffamant. In quo, ut verbis S. Augustini utar, Lib. 2. ad Bonifacium, cap. 1. *duo faciunt mala; unum, quod Catholicos Manicheorum nomine criminantur; alterum, quod etiam ipsi hæreses novi erroris inducant.* Ut ergo desinat Catholicis obicere, quod non sunt; nec ideo se velint haberi amabiles, quia odioso Calvinistarum adversantur errori; sed merito se cognoscant odibiles, quia suum averfantur errorem; brevitate summa, per omnia, quæ opponuntur, decurrens, Deo adjuvante, plene, dilucideque monstrabo, quam sine fundamento, hoc contractum, & comminatum argumentandi genus instaurant.

CAPUT I.

Respondetur ad viginti objectiones, seu comparationes, institutas in scripto novi Collatoris.

Prima obiectio, seu comparatio prima ita formatur: *Auxilium Dei secundum se, sive a se ipso, est efficax, ita ut ipsius efficaciam nec pendat a voluntate, nec possit ab eadem efficax, vel inefficax reddi.* In propositione dicuntur Catholici, defendentes efficaciam gratiæ, cum Calvino convenire: quod, relatis, & ad invicem comparatis Catholicorum, & Calvini verbis, suadere procurant, in citatis ibidem locis.

Respondeo, relatos ibi Catholicos hanc propositionem adversus Pelagianos defendere; intelligendo tamen, auxilium esse efficax de se solo, id est, ut venit a solo Deo, independenter a voluntate creata. In quo nullo modo cum Calvino conveniunt, sed cum S. Augustino, cujus perpetua est ista doctrina in Libris contra Pelagianos, quorum innumera poterant induci testimonia; sed ob brevitatem omittuntur. Videatur S. Doctor Serry Tom. II.

(1) Ad c. 2. sect. 7. l. 5.

Lib. de Lib. Arb. cap. 5. lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 20. & lib. 2. cap. 1. & 6. Conveniunt etiam cum S. Thoma, in numeris suæ doctrinæ locis, & cum Cælestino I. Decretali ad Episcopos Galliarum, cum Concilio Arausicano II. can. 4. & 9. *Nunquid homines Dei* (ut verbis S. Augustini utar lib. 1. ad Bonif. cap. 20.) *qui hæc scripserunt, imo ipse Spiritus Dei, quo auctore ista per eos scripta sunt, impugnavit liberum hominis arbitrium?* Nunquid, quia docuit, Deum efficaci sua potestate immutare hominis voluntatem, quo sibi placuerit, cum Calvino convenit? Absit. Qui ergo modo contendunt, relatos Sancti Thomæ discipulos, Calvinistarum nomine, criminari; ipsos sanctos Patres, & Pontifices summos, suppresso illorum nomine, criminantur. Calvinus ergo, cum hanc partem primam asseruit, non erravit; (Nec enim in omnibus hæretici errant;) sed in illa cum Ecclesia adversus Pelagianos convenit ipse: sicut nec cum Calvino conveniunt, qui Orationem Dominicam admittunt, quam Calvinus dicit esse admittendam. Quod autem opponitur, Catholicos citatos ulterius proterem, quam Calvinum, E e e di.

dicentes, gratiam ex solo Deo esse efficacem; quod verbum solum Calvinus non opposuit; non juvat, quia contra hujus temporis equivocaciones magnas, oportuit, a Catholicis explicari, a solo Deo habere efficaciam, contra illas causas partiales Molinæ. Nec vero excedunt in eo modo loquendi, cum Sanctus Augustinus eo utatur in lib. de gratia, & lib. arb. cap. 5. Ut Paulus de celo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatio ne converteretur, gratia Dei erat sola.

Secunda obiectio, seu comparatio: *Postea gratia efficaci, non possumus non velle, non possumus dissentire, non possumus resistere, aut resistari.* Hanc, dicunt, ex præcedenti prima propositione necessario sequi: & cum Calvinus in illa Catholicos convenire, in citatis ibi locis.

Respondeo 1. hanc propositionem damnatam continere sententiam Calvinus, qua pessime erravit, dum ex efficaci Dei gratia, quam Scriptura, & Concilia prædicant, ut ostensum est, per fallacem consequentiam intulit, hominem nec libertatem exercere in volendo, nec posse dissentire, si velit. Respondeo 2. hanc propositionem non sequi necessario ex prima, ut, errando, sensit Calvinus, & modo, errando, sentiunt, qui, cum illo convenientes, asserunt, illam necessario sequi ex prima. Respondeo 3., relatos Sancti Thomæ discipulos nullo modo cum Calvinus in hoc suo errore convenire; immo illi totaliter adversari, asserentes, posita efficaci Dei gratia, semper libere hominem operari, semperque posse dissentire, si velit. Quod nostri doctores Catholicæ inducunt affirmant; tantum est, quod, posita Dei gratia efficaci, non potest homo dissentire in sensu composito: Quæ propositio, cum hac limitatione, toto celo distat ab hac secunda, ex Calvinus modo allata. Fallunturque nimis, qui ex illa propositione de sensu composito, Catholica, inferunt aliam absolutam de sensu diviso, hæreticam: ut docet Sanctus Thomas 1. contra Gentes, cap. 67. circa finem. Itaque Catholicorum doctrina media via procedit, inter Pelagianorum, & Calvinistarum errores; & utrosque æqualiter damnat. Contra Pelagianos enim defendit efficaciam Divinæ motionis, & gratiæ; contra Calvinum vero hominis libertatem. Similiter contra Pelagianos affirmat, propter efficaciam Divinæ motionis fieri non posse, ut Deus efficaciter moveat voluntatem hominis ad consensum, & quod ipse dissentiat: & hoc est non posse dissentire in sensu composito: contra Calvinistas vero docet, posita quacunque efficaci motione, libere hominem consentire, & per facultatem liberam posse semper dissentire, si velit.

Tertia obiectio, seu comparatio: *Ex hac gratia actus voluntatis sequitur necessario, non suapte natura sed ex suppositione decreti Divini, vel alterius antecedentis causæ.* Hanc affirmant sequi ex utraque præcedenti; & in illa asserunt Catholicos Auctores cum Calvinus convenire in citatis locis.

Respondeo, nullam esse convenientiam in hac propositione, quoad sensum, inter Catholicos relatos, & Calvinum; quia Calvinus sensit, quod, supposito decreto Divino, sequitur actus ita necessario, ut fiat ab hominis voluntate, absque sua propria libertate: Catholicis vero semper defendunt, ex suppositione decreti Divini, fieri actum necessitate conditionata, seu merè infallibilitatis, cum omni hominis libertate, ut S. Thomas docet 1. par. quæst. 19. art. 8. in solutione ad 3. & 1. contra Gentes, cap. 85. ratione 4. Unde, licet Calvinus in inductis verbis, voce videatur admittere distinctionem de necessitate absoluta, & conditionata, sive consequentis, & consequentiæ,

& infallibilitatis; reipsa tamen utramque confundit. Et in eo consistit ejus error, quem sequuntur, qui similiter modo utramque hanc necessitatem non distinguunt; neque admittunt, cum necessitate conditionata, ac merè infallibilitatis, stare optime libertatem. Itaque Catholicorum sententia media via procedit inter Pelagium, & Calvinum, & utrumque æqualiter damnat. Contra Pelagium enim admittit necessitatem conditionatam, & infallibilitatis; contra Calvinum vero docet, illam non ledere, sed perficere libertatem.

Quarta obiectio, seu comparatio: *Sine auxilio efficaci homo non potest bene operari, nec ad Deum converti.*

Respondeo, nec in hac propositione relatos Catholicos cum Calvinus convenire. Calvinus enim dixit, sine auxilio efficaci nullum aliud esse sufficientem, quo homo vere possit pie operari, si velit, & ad Deum converti: Et in hoc sensu dixit, Hominem sine auxilio efficaci non posse pie operari, nec ad Deum converti; quia nullum sufficientem principium ad id haberet. Catholicis autem asserunt, præter auxilium efficaci, aliud sufficientem esse, quo homo potest pie operari, vere, si velit, & ad Deum converti: licet non sit, hominem converti, & non habere fortius aliud auxilium: Et in hoc sensu dicunt, hominem non posse converti sine auxilio efficaci; id est, fieri non posse, ut homo convertatur, & non habeat auxilium efficaci: ut S. Thomas explicat aperte quæst. 1. de potentia, art. 5. ad 1. ubi auferit equivocacionem hujus propositionis: *Sine auxilio non potest homo converti.* Et in hoc sensu etiam dixit Avila, sine auxilio efficaci Deum nihil agere, quo de facto hominem convertat: de quo in ista propositione damnatur, sed sine fundamento, & causa. Itaque media via secunda procedunt Catholicis inter Pelagium, & Calvinum, utrumque damnantes æqualiter. Contra Pelagium enim docent necessitatem auxilii efficaci, ut homo de facto libere convertatur: contra Calvinum vero, præter efficaci auxilium, aliud admittunt vere sufficientem, quo homo potest ad Deum converti, si velit.

Quinta obiectio, seu comparatio: *Quod ex duobus hominibus unus convertatur, alius non; non aliunde, quam ex inæqualitate gratiæ est.* Hanc dicunt sequi ex antecedentibus, & in illa Catholicos cum Calvinus convenire.

Respondeo, quod ille, qui convertitur, semper habet fortius aliquod auxilium, quo discernatur ab eo qui non convertitur. Hac propositio catholica est contra Pelagianos, a quocumque dicatur: & hoc tantum intendunt S. Thomæ discipuli, citati in scripto, ut ex relatis verbis ipsorum constat. Nec in hac propositione cum Calvinus, sed cum Catholica veritate conveniunt, ut circa primam propositionem manet explicatum. In aliis vero, quæ circa hanc propositionem asseruntur, est magna differentia; quia Calvinus voluit, causam per se, quod homo non convertatur, esse Deum, ut patet ex lib. 3. Institutionum, cap. 23. §. 8. ubi ait, *cadit homo, Dei providentia sic ordinante*; & §. 9. *Ex Dei ordinatione, inquit, injicitur homini necessitas peccandi.* Catholicis vero non assignant aliquam causam per se, quod homo non convertatur, nisi malitiam, & defectum humanæ voluntatis. Unde totum hoc complexum, quod unus convertatur, & non alius, non reducant Catholicis in solam gratiæ inæqualitatem, sicut reducit Calvinus: & sic valde distat ab invicem. Differunt secundo, quia Calvinus dixit, quod unus convertatur, alius vero non, non aliunde provenire, quam ex inæqualitate gratiæ, facien-

facientis, unum præ alio converti, absque eo quod conversio libera hominis cooperatione fiat: quod tamen Catholicis semper in illo damnant.

Sexta obiectio, seu Comparatio: *Eos, quibus æqualem gratiam Spiritus S. partitur, æqualiter cum illa conari, necesse est.* Hanc dicunt sequi ex præcedentibus: Cum enim tota vis agendi in sola gratia efficaci ponatur, eaque sit causa necessaria nostri actus; non potest homo conari ultra gradum gratiæ, sed necesse est, ut pro quantitate, & mensura gratiæ, fit arbitrii conatus. Et in hac asserunt convenire Catholicos cum Calvinus, contra definitionem Concilii Tridentini Sess. 6. de Justif. cap. 3.

Respondeo, quod tota vis faciendi, ut homo faciat, constituitur debet in gratiæ prævenientis efficaciæ; cum Scriptura Sacra id aperte dicat: *faciam, ut faciatis.* Nec in hac conveniunt cum Calvinus Catholicis Doctores, sed cum ipsa veritate. In hac enim propositione si aliud non dixisset Calvinus, non errasset. Gratiam autem agere ex necessitate nature, falso Catholicis imponitur. Agit enim libere per Divinam voluntatem, quæ media illa gratia libere hominem convertit. Igitur in hac sexta propositione minime conveniunt Catholicis cum Calvinus; quia Calvinus, in suo perseverans errore, dicit, hominem absque propria libertate recipere habitualem gratiam, secundum mensuram auxilii dati: Catholicis vero asserunt, hominem cum omni sua libertate gratiam habitualem recipere, immediate quidem secundum quantitatem suæ liberæ dispositionis: in quo contrariantur Calvinus. Dicunt secundo Catholicis, quantitatem hujus liberæ dispositionis, mensurandam esse secundum quantitatem auxilii Divini; ut in terminis S. Thomas probat 2. 2. quæst. 24. artic. 3. ex illo I. ad Corinthios 12. *hæc omnia operatur unus, & idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Et ad Ephesios 4. *uniquique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi.* Et in isto sensu loquitur Concilium Tridentinum, in oppositu inductum, sess. 6. de justificatione, cap. 3. cum dicit unumquemque recipere gratiam, secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis, prout vult, & secundum propriam jusque dispositionem, provenientem videlicet a tali mensura auxilii dati.

Septima obiectio, seu comparatio: *Oblatam gratiam recipere, hoc est acceptare, non nostræ facultatis est.* Circa hanc notant Patres Societatis, quod recipere gratiam, non est illam in se suscipere; vident enim, in hoc passive se habere hominem; sed esse, eam acceptare, consentiendo, ut S. Augustinus dicit lib. de spiritu, & littera, cap. 34. Quæ supposita declaratione, dicunt, hanc sequi ex præcedentibus. Si enim est impossibile, quod homo moveatur a gratia, & illam non acceptet; ergo potestatis nostræ non est, illam acceptare, cum abjicere illam non possumus: in qua dicunt; Catholicos inductos cum Calvinus convenire.

Respondeo, nec in hac Catholicos cum Calvinus convenire. Etenim Calvinus intendit, non esse nostræ liberæ facultatis, oblatam gratiam acceptare, vel respuere; sed quod illam absque nostra libertate acceptamus: Catholicis vero asserunt, homines quidem libere gratiam acceptare; sed hoc non habere primo ex se, sed ex efficaci prævenientis gratiæ, quæ facit, ut homo libere velit, talem gratiam acceptare, ei libere consentiendo. Unde ille discipulus S. Thomæ, (1) citatus in §. *Libertum arbitrium*, dum dicit, quod, respectu auxilii gratiæ, se habet homo passive, in-

Serry Tom. II.

(1) Nannus 3. p. 9. 62. art. 5.

tendit, se habere passive, ut illud in se recipiat, non ut illud velit acceptare; quia active & libere tale auxilium gratiæ acceptare vult: ut ex perpetua doctrina illius auctoris constat: Quod docuit S. Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 3. dicens, *quod Deus movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum, in his, qui sunt hujus motionis capaces.* Quare illa ratio, inducta a Patribus Societatis, & modo relata, sophistica est. Neque enim sequitur: impossibile est, quod gratia efficaci homo moveatur, & eam non acceptet: ergo non est nostræ facultatis, eam acceptare: quia, ut supra dictum est, falluntur, divertendo a sensu composito ad divinum; sive a necessitate conditionata, & merè infallibilitatis, ad absolutam: sicut non valet: impossibile est, hominem album esse simul nigrum: ergo homo albus non potest esse niger. Constat enim apud omnes dialecticos, antecedens esse verum, & consequens falsum, ob defectum prædictum.

Octava obiectio, sive comparatio: *Hæc gratia ita voluntatem agit, ut quavis voluntas agat, nihilominus adæquata causa conversionis sola gratia sit.* Circa hanc propositionem prænotant Patres Societatis, ideo dici gratiam adæquatam causam conversionis, quia voluntas, ut libera, nihil agit, sed ut natura est. Hancque dicunt esse mentem Calvinus; & in hac cum illo convenire Catholicos istos.

Respondeo, nullam in hac parte esse convenientiam inter Catholicos istos, & Calvinus: quia Calvinus tenet, voluntatem, a Deo actam, & motam, agere, quidem, ut natura est, sive spontanea, non autem libere; ut etiam ii auctores, quibus respondemus, in titulo hujus collationis octavæ prænotarunt. Catholicis autem ita fatentur, voluntatem ab efficaci gratia agi, ut etiam libere agat; ut S. Augustinus docuit lib. de corp. & gratia, cap. 2. dicens de hominibus, motis a gratia: *aguntur enim, ut agant, scilicet, libere, non ut ipsi nihil agant.* Unde in hoc oppositi sunt Catholicis, & Calvinus. Differunt secundo, quia Calvinus ita dicit, gratiam esse totalem, sive adæquatam causam conversionis, ut liberum arbitrium nullo modo sit causa proxima liberæ conversionis suæ: At vero Catholicis ita fatentur contra Pelagianos, gratiam esse adæquatam causam conversionis, primam scilicet, & radicalem, (quod etiam S. Augustinus docet in Enchiridio, cap. 23. & discipuli S. Thomæ affirmant, contra illas causas partiales Molinæ) ut etiam contra Calvinistas dicant, humanam voluntatem esse proximam causam liberam conversionis suæ; quod & S. Augustinus affirmat. Quod autem Patres Societatis opponunt in glossa quasi interlineari, Calvinum tantum exigere subordinacionem causæ secundæ ad primam, Bannes vero majorem, quam inter solem, & ignem; minus juvat: quia Bannes, ut ejus verba aperte declarant, dicit, primam causam non determinari a secundâ, sicut Sol determinatur ab igne: quod Catholico debet esse certissimum. Similiter quod habetur in margine paragraphi in quibus verbis, esse celebrem imaginationem Nanni, qua contendit, hoc, quod est me converti, nullo modo esse a me, sed a solo Deo, calumnia est. Nam verba illius discipuli S. Thomæ sunt: *soli Deo tribuendam, quod sua actione efficiat, quod operetur*: quæ non imaginatio, sed Scripturæ aperta sententia est: *faciam, ut faciatis*, Isaia 36. Unde, quamvis homo libere velit, & operetur; Deus tamen solus facit, quod homo libere operetur, & velit. Ad illud etiam, quod dicitur in §. *verum* & §. *ca-*

Ecc 2

vii.

villiantur, Calvinum scilicet eadem Calviniana uti contra omnes Catholicos, qua contra Molinianos utitur Bannes, in rejiciendo scilicet illas causas partiales, quibus partem Deo, partem libero arbitrio tribuit Molina, & non totum Deo, ut primæ causæ, & totum libero arbitrio, ut causæ proximæ: Respondeo, Calvinum hoc imponere Catholicis, cum tamen id Catholici, non dicant, sed Pelagianum, quorum error merito a Bannes damnatur; qui etiam potuit a Calvino merito damnari. Sicut ergo Calvinistarum sententiam impiam, & noxiam non solum fides Catholica detestatur, verum etiam omnes, qui non sunt Calvinistæ; ita Pelagianorum damnatam sententiam non solum fides Catholica damnat, sed etiam omnes, qui Pelagiani non sunt. Unde merito illam damnat Calvinus.

Nona objectio seu collatio: *Auxilium in quo consistit donum perseverantiæ, est immutabile, reddiditque hominem immobilem in bono, & independentem a libero arbitrio, antecedenterque facit, perseverare.* Ante collationem prænotatur a Patribus Societatis, Catholicis, & Calvinum tribuere Augustino, quod de auxilio præveniendi perseverantiæ docuerit, quæ sanctus Augustinus de actu ipso, quo perseveratur, docuit.

Respondeo ad prænotationem, S. Augustinum aperte loqui, lib. de dono perseverantiæ, non solum de actu, quo homo perseverat, sed de dono ipso, quo Deus vere efficit, ut libere perseveret: in quo Calvinus non erravit, illud S. Augustino tribuens: nec cum Calvino conveniunt Catholici, sed cum veritate, & Augustino ipso, qui id de mente S. Augustini defendunt contra Pelagianos. Ad collationem vero Respondeo, nullam omnino inter Catholicos, & hæreticos convenientiam esse in hac propositione, sed potius contrarietatem. Nam Calvinus putat, hominem ita reddi immobilem ex dono efficaci perseverantiæ, ut moveri ad aliud non possit voluntas sua libertate, si velit: Catholici vero asserunt, ex dono perseverantiæ, ad hunc sensum, reddi homines immobiles in bono, ut non stet, simul eos velle donum habere, & non firmiter, & libere perseverare; licet semper possint deficere, si velint. Quæ est sententia S. Augustini dicentis: (1) *quomodo autem potest amitti, (& loquitur de dono perseverantiæ, quod facit, homines perseverare) per quod fit, ut non amittatur, quod potest amitti?* Et præmiserat: *hoc ergo Dei donum suppliciter emereri non potest; sed cum datum fuerit, amitti consumaciter, non potest.* S. etiam Thomas dicit, (2) & ex Boetio probat, seriem quidem causarum secundarum esse mobilem, sed ab immotis providentiæ proficisci exordiis; ipsamque immutabilem permanere, necesse esse. Media ergo via incedit Catholica veritas inter Pelagium, atque Calvinum: contra Pelagium docens, donum perseverantiæ firmiter hominem efficere perseverantem; & contra Calvinum affirmans, hominem posse sua libertate non perseverare, si velit.

Decima objectio, sive collatio: (3) *Deus aeterno, & immutabili suo decreto, omnes nostras actiones, sive bonas, sive malas, prædestinat, ac prædeterminat.* Illud prænotant circa hanc propositionem, ante utriusque partis collationem, duplicem prædeterminationem esse, internam, & externam. Item Calvinum non fuisse usum voce *physica prædeterminatio*, sed tantum dixisse, Deum insectere hominis voluntatem: qua voce S. Augustinus semel utitur, sed in sensu valde alieno.

Respondeo ad prænotationem, prædeterminatio-

(1) De dono persever. c. 6. (2) 1. p. q. 116. art. 3. & 2. 2. q. 137. art. 4. (3) Hic incipiunt conferri propositiones pertinentes ad Divinam nostrarum actionum prædeterminationem.

nem externam instrumentum esse actuale, quo operatur interna Dei prædeterminatio; nec debere constitui, quasi ab illa distinctam, quia omnem suam virtutem habet ab illa interna Dei prædeterminatione, ad quam sequitur. Quod autem Calvinus voce *physice prædeterminationis* non utatur, verum est; sicut etiam, quod utatur verbo *insectere*, in hoc sensu pravo, quod Deus insectat hominis voluntatem in hanc, vel illam partem, absque eo quod homo libere se sectat in illam. In quo sensu Sanctus Augustinus non sumit verbum *insectere*; quia semper docuit, quod Deus insectat hominum voluntates, quo vult, efficaciter, salva semper illorum libertate; & faciendi in actu primo, quod homo se libere insectat in actu secundo in illam partem, quam Deus vult. Respondeo ad Collationem, nullam omnino esse convenientiam inter Catholicos relatos, & Calvinum inductum, quia Catholici nunquam dixerunt, ut ex eorum verbis fit manifestum, Deum aeterno, & immutabili decreto prædestinasse omnes nostras actiones, sive bonas, sive malas, ut eis falso imponitur; sed hoc potius in Calvino damnant: sed tantum dicunt, nostras actiones bonas, & quidquid bonitatis, & entitatis in qualibet operatione est, Deum prædefinire, & determinare, ut Sanctus Thomas docet. Quod lib. 12. art. 4. & quest. 3. de veritate, artic. 7. & 8. Item secundo differunt, quia Calvinus sensit, omnia, sive bona, sive mala, iam prædestinata esse aeterno Dei decreto, ut necessario evenirent, sine libertate humana: Catholici autem dicunt, omnia quidem bona a Deo prædefiniri: & necessitate duntaxat infallibilitatis, seu conditionata evenire, cum hominis libertate. Item Calvinus, errando, dixit, quod decreto Dei, & ejus providentia homines peccant, ut retulimus supra: quod tamen Catholici in eo condemnant. Unde media via procedunt doctores Catholici citati inter Pelagium, & Calvinum. Nam contra Pelagium dicunt, omnia bona, & omnem entitatem, & actionem, quatenus entitas, & actio est, esse a Deo prædefinitam, seu determinatam: contra Calvinum vero asserunt, non feci ex hoc, peccata esse a Deo prædefinita, seu determinata, ut Calvinus, errando, putavit. Nec Calvinus errat, dum ex subordinatione ad primam causam deducit, omnia bona a Deo prædefiniri; cum hoc Catholica veritas doceat: sed in eo errat, quia ex tali subordinatione secundarum causarum ad primam pessime intulit, actiones malas, atque peccata a Deo esse prædefinita.

Undecima objectio, sive collatio: *Nisi singule nostre actiones ex Divina destinatione, seu prædeterminatione foverent, non haberet Deus respectu earum providentiam particularem, sed universalem tantum, & consusam.*

Respondeo, in præfatione ad hanc undecimam propositionem imponi Catholicis, quod asserant cum Calvino, Deum prædefinire mala opera, ut illorum habeat peculiarem providentiam: quod non ita esse, ex supradictis fit manifestum. Nulla ergo, etiam in hac parte, Catholicorum cum Calvino est convenientia; quia Calvinus putavit, quod, si Deus non prædefiniret peccata, non posset illorum in particulari habere providentiam: unde asseruit, & Deum sua providentia illa velle, & prædefinire, & illa causare, & ordinare. Cujus totum contrarium Catholici docent, contra ipsum asserentes, peccata a Deo nec volita, nec prædefinita esse, nec causata, nec per Divinam Providentiam, ut fiant, preparata, sive dis-

spo-

posita. Dicunt tamen, peccata a Deo esse permessa, & hac ratione habere Deum circa illa non confusam, sed particularem providentiam, quæ permissionem talium peccatorum ordinat, ut majora bona ex tali permissione deducat; ut cum S. Augustino, & S. Thoma communis est Theologorum sententia. Unde media via inter Pelagium, & Calvinum procedunt Catholici, utrumque æqualiter damnantes: Pelagium quidem, quia decretum Divinum, sive bona præfinitis, sive mala permittens, ante illorum præfinitiam negavit; in quo confusam providentiam nostram actionum constituit in Deo; Calvinum vero, quia malas actiones, sicut & bonas a Deo posuit præfinitas, ut illarum certam, & particularem providentiam haberet Deus. Similiter Catholici inducti, ut ex eorum verbis constat, contra Molinam asserunt, Deum non tantum dare facultatem operandi, nec habere nostrarum operationum quasi confusam providentiam, ut Molina asserat. Quod autem Patres Societatis in margine ad hanc undecimam objectionem fatentur, Deum non tantum dare posse, sed & ipsum actum, non tamen per auxilium prædeterminans; solis verbis id asserunt: quia dare auxilium sufficiens, quo homo possit operari, quod solum admittunt, non est dare ipsum operari, sed facultatem tantum operandi, ut Molina expressus concessit.

Duodecima objectio, sive collatio: *Omnis effectus, sive bonus, sive malus, (etiam hi, qui fortuiti, & casuales videntur) non solum a Deo providente, & permittente fit, sed etiam per sui decretum stabilite, ac prædeterminante.* In præfatione ad hanc 12. propositionem id a Reverendis Patribus prænotatur: *Quamvis Deus aliquando aliquos effectus fortuitos prædefinit, ut sunt illi, qui eveniunt in peccata peccati; non esse tamen necessarium ad hoc, quod effectus non dicantur fortuiti respectu Dei, quod illos decreto suo prædefinit; quia ad hoc sufficit, quod prævidentur, & permittantur.* Dicunt secundo, Calvinum, omnes in universum effectus fortuitos posuisse a Deo prædefinitos: in quo Catholicos inductos accusant, quod eisdem fere verbis, & exemplis, quibus Calvinus utitur, utantur in hac parte.

Respondeo, ex supra dictis apertam constare differentiam inter citatos Catholicos, & Calvinum: quod Calvinus omnes effectus, sive bonos, sive malos dicat a Divina providentia prædefinitos; cuius contrarium ad verum ipsum dicunt Catholici, qui negant, actus malos esse a Deo prædefinitos. De omnibus autem aliis fortuitis effectibus, qui peccata non sunt, sed penæ, dicunt Catholici Auctores citati, contra Molinam, illos a Divina providentia esse prædefinitos, & non tantum permittens, sive prævisos, sicut permittuntur peccata. In quo non cum Calvino, sed cum Catholica veritate, expresse in Scripturis tradita, conveniunt, quæ docet, omnes capillos capitis nostri numeratos esse, & quod nec folium arboris cadit sine Dei voluntate. Quomodo ergo dicitur a Molina, quod, dum aliquis natam volens suffocatus est, vel cadente tegula occisus, nec voluit a Deo esse, nec præfinitum, sed tantum permittitum, perinde ac si peccatum esset? Certe mirandum est valde, quod hoc etiam defendere audeant Reverendi Patres, non attendentes, per hoc Divinam potentiam, providentiam, & causalitatem circa tales effectus fortuitos aperte negari: ut docet Sanctus Thomas 1. parte, quest. 22. art. 2. ad 1. & quest. 116. art. 1. ubi late probat, omnia fortuita casualia, quæ videlicet peccata non sunt, reduci in Divinam providentiam præordinantem, & intendentem: affirmans eos, qui

hoc negant, cum Tullio, negante Divinam providentiam, convenire. Quod ergo Calvinus hoc exemplo utitur de præterente, quem defraus ex arbore ramus interfecit, atque, esse a Divina providentia intentum, atque prævisum, ex Catholica doctrina desumpsit; nec in hoc erravit; nec cum illo Catholici, similibus utentes exemplis, conveniunt; sed Pelagianorum extirpant errorem, quem etiam Calvinus merito damnat. Unde, nisi ad extremum ipse declinasset, ab errore esset immunis.

Decima tertia objectio, seu collatio: *Deus, ut prima causa, determinat omnes causas secundas liberas ad suas operationes, sive ille bone sint, sive male.* In hac dicunt Catholicos cum Calvino convenire: & in præfatione ad illam prænotant, hanc propositionem esse ex principalioribus hujus Controversiæ; & procedere de prædeterminatione ad extra, qua Deus ad unum physice prædeterminat voluntatem, illam alligat, atque astringit: esseque universalem propositionem, & ita se extendere sive ad bonas, sive ad malas actiones. In glossa quasi interlineari notant, Calvinum asserere, Deum determinare ad malum; non tamen hoc esse de fide: at vero quendam discipulum Sancti Thomæ dicere, Deum determinare ad malum, esse de fide: in quo, ut ajunt, ulterius progreditur, quam Calvinus. In margine ad paragraphum. *Ista necessitas*, ita dicunt: *omnes hec locutiones generales sunt, & communes bonis actibus, & malis.* In margine ad finem paragraphi, *Deus*, ita advertunt: *eam determinationem confirmant Discipuli S. Thomæ, ut ei resistere voluntas, non possit.*

Respondeo, quamvis ista propositio ex principalioribus hujus controversiæ sit, quia de physica prædeterminatione procedit, imponi tamen Catholicis doctoribus, quod asserunt, per illam ligari, aut astringi liberum hominis arbitrium; quia potius dicunt, ipsum arbitrium per illam omni sua libertate sine ligatione operari. Similiter illud eis imponitur, quod asserant, Deum prædeterminare ad peccatum; cum totum contrarium asserunt semper: nec enim loquuntur generaliter de omnibus operibus, & bonis, & malis, dum dicunt, Deum determinare voluntatem ad bonos actus; ad malos autem tantum, quoad substantiam, & actionem, quatenus actio, & entitas est, non quatenus mala est. Unde non solum dicunt, non esse de fide, quod Deus determinet ad actiones malas, ut eis falso tribuitur; quin potius dicunt, contra fidem esse, asserere, quod Deus determinet ad peccata. Quare constat aperta differentia inter relatos Catholicos Auctores, & Calvinum. Calvinus enim a Dei causalitate dicebat ligari liberum arbitrium sine libertate sua. Asserat secundo, ita Deum determinare ad bonum, sicut ad malum: quorum utrumque contra ipsum damnant Doctores Catholici. Quod autem Bannes inductus condemnat hanc negativam propositionem: *Deus non applicat, & determinat ad bonum, vel malum, hominis voluntatem*; nullo modo per hoc affirmat, quod Deus determinet ad malum, ut contra omnes regulas dialecticæ illi imponunt. Nam illa propositio negativa est contradictoria hujus, *Deus determinat ad bonum, vel malum*: cum ergo ista contradictoria affirmativa sit disjunctiva; & ad veritatem disjunctivæ sufficiat, habere unam partem veram; ista propositio affirmativa tota est vera, ratione illius partis, *Deus determinat ad bonum*: & ex consequenti necesse est, quod sua contraria negativa sit falsa: unde merito a Bannes tanquam falsa damnatur. Oportebat autem memores esse, qui hoc Dominico Bannes tribuunt, quod ipsi sequenti propositio-

ne

he inducunt eundem Bannes, ista verba dicentem: *Deus est causa actus peccati, quamvis non sit causa peccati.* Cum ergo expresse neget Bannes, Deum esse causam peccati, quomodo ei attribuant, quod sit causa determinans ad malum, sive peccatum? Quod autem in eodem Dominico Bannes damnant præterea hanc propositionem: *nulla causa secunda potest exire a determinatione cause primæ*; non attendunt, Catholicam esse hanc doctrinam contra Pelagianos, quam in terminis tradit S. Thomas 1. part. quæst. 22. art. 2. ad 1. quæst. 103. art. 8. In primo loco dicit Sanctus Thomas, quod *secunda causa non potest exire ordinem Divinae providentiæ.* In secundo autem loco, quod *ordini Divinae providentiæ nullus potest obistere, vel reniti.* Et per hoc evanescit, quod opponunt ex alio Sancti Thomæ discipulo, (1) quod videlicet dicat, *hominem non posse resistere Divinae determinationi.* Sumit enim verbum *resistere* proprie, prout importat reniti, & contradicere: in qua significatione bene cum Sancto Thoma affirmat, non posse hominem resistere, sive reniti, vel contradicere determinationi Divinae: licet si large sumatur resistere pro eodem, quod dissentire, sicut potest homo dissentire, ita potest homo resistere Divinae determinationi. Auferenda sunt igitur æquivocationes verborum.

Decima quarta objectio, sive collatio: *Omnia futura, etiam mala, cognoscit, & præscit Deus in suo decreto, vel prædeterminatione voluntatis.* In præfatione ad illam prænotant, hanc propositionem esse contra expressam S. Thomæ doctrinam; quam tamen defensores physica prædeterminationis affirmant, ad impugnandam scientiam illam mediam futurorum sub conditione, convenientes in hac cum Calvino.

Respondeo, falso omnino affirmari, esse contra doctrinam Sancti Thomæ, quod Deus cognoscat omnia futura, sive mala, sive bona, in decreto, sive prædefiniendo pro bonis, sive tantum permitte pro malis; cum potius hæc sit expressa Sancti Thomæ sententia 1. part. quæst. 14. art. 13. ut ibi optime Cajetanus notat, & 1. contra gentes, cap. 66. ratione 7. & in 1. sent. dist. 38. quæst. 1. art. 5. licet S. Thomas non solum doceat, in tali decreto futura a Deo certo cognosci, sed etiam intuitive, prout sunt sibi in sua æternitate præsentia. Per quod Divinum decretum optime excluditur a Catholicis media illa scientia, huius Divini decreti, & causalitatis inimica, quæ ad enervandam Divinam gratiam fuit olim a Semipelagianis inducta. Neque, in tali Divino decreto firmando, cum Calvino Catholici conveniunt, sed cum veritate Catholica, quæ tale Divinum decretum docet constituendum ad expellendos Pelagianorum errores. Unde media via in hac, sicut in cæteris, Catholici procedunt inter Pelagium, & Calvinum, utrumque simul damnantes: Pelagium quidem, quia tale decretum negavit etiam pro bonis operibus, a voluntate nostra eliciendis: Calvinum vero, quia illud decretum volens, ac prædefiniens extendit ad mala, ut Deus illa certo cognoscat; cum deberet distinguere decretum prædefiniens pro bonis operibus, permittens autem pro operibus malis.

Decima quinta objectio, sive collatio: *Voluntas nostra infallibiliter, & necessario peccat, nisi a Deo efficaciter agatur, ac determinetur ad bonum.* Hanc dicunt continere potissimum errorem Calvinii, Manichæorum errore longe deteriore; quia Manichæi de natura, solis suis viribus relicta, dicebant, eam necessario peccare: Calvinus autem ulterius dixit, voluntatem, etiam suffi-

cienti auxilio præventam, absque efficaci, infallibiliter, & necessario peccare. In margine ad paragraphum *nihil vovendum*, ex Catholicis deducunt, ita glossant Reverendi Patres, *quis crederet, potuisse Catholicos excedere comparationem hanc, quod Deus æque non conversionis auctor sit?*

Respondeo, quidquid sit, an Calvinus in hoc contineat errorem, longe Manichæorum errore deteriore, nullo modo tamen cum ipso Catholicos Auctores relatos convenire, sed potius ei totaliter adversari; quia Calvinus sentit, voluntatem hominis per originale peccatum esse naturaliter inclinatum ad malum: ut patet ex lib. 2. Instit. cap. 3. Num. 8. ubi ait: *ex gratia est, ubi velle bonum incipimus, qui ad malum voto animo sumus naturaliter propensi.* Et Num. 9. *perveraciam cordis ostendit, quod in legis Divinae rebellionem naturaliter exultat, nisi spectatur.* Catholici autem citati omnino negant, homines naturaliter esse determinatos, aut inclinatos in peccatum: in quo ad invicem opponuntur. Sed etiam illud omnino est falsum, Calvinum admisisse auxilium sufficiens. Unde non magis erravit, quam Manichæi; perinde enim dicunt, hominis voluntatem, gratia destitutam, esse ad malum naturaliter determinatam. Rursum adversantur Catholici Calvino; quia Calvinus dixit, hominis voluntatem necessario, & sine libertate peccare, nisi a Deo efficaciter ad bonum determinetur: Catholici autem dicunt, voluntatem, nisi a Deo efficaciter moveatur ad bonum, sua libertate infallibiliter desicere. Quæ est expressa S. Augustini sententia lib. de Correp. & gratia, cap. 12. *versu tamen quippe Spiritu Sancto &c.* & S. Thomæ 1. 2. quæst. 79. art. 1. in corp. & ad 3. ubi dicit, *quod ex subtractione auxilii gratie sequitur, quod mens non illuminatur, nec emolliatur ad agendum.* Illud alteri auct, quod Dominico Bannes opponunt, illum constituisse Deum auctorem æque non conversionis, ac conversionis, falso illi tribuunt. Hoc enim tantum dixit, æque Deum esse auctorem conversionis in Deum, & non conversionis, sumptæ mere negative, de qua ibi loquebatur; quia verbum *sicut* non dicit omnimodam æqualitatem, sed proportionalem, ad hunc sensum: quod sicut cum Auxilio efficaci est conjuncta inseparabiliter hominis in Deum conversio; ita cum negatione auxilii efficaci conjuncta est negatio conversionis. Cum quo tamen est magna differentia; nam per auxilium efficax Deus est per se causa conversionis, & tota conversio ipsi tribuitur, sicut primo, & principali agenti; per negationem auxilii non est causa per se non conversionis; sed solum esse non removens, prohibens, ut ex utroque citato loco ex S. Thoma fit manifestum. Unde Deo non tribuitur, aut tribui potest, quod homo non convertatur, sed solum prava hominum voluntas.

Decima sexta objectio, sive collatio: *Deus pro sua voluntate, & arbitrio suo reprobat homines, & eterne morti destinat, ad ostensionem gloriæ bonitatis, & justitiæ suæ.* In præfatione ad hanc propositionem illud prænotatur, Calvinum, post peccatum originale prænotatur, dixisse, Deum homines reprobare pro libito suo; Bannes vero id affirmare, etiam ante prævisionem originalis culpæ; & hanc sententiam, si Deo placeat, S. Thomæ tribuere; & contrariam apertam S. Augustini, sicut improbabilem, rejicere; asserereque, consequentiam S. Augustini, malitiam quamdam habere in hac parte.

Respondeo, multa sine delectu coacervari in hac propositione a RR. Patribus, non distinguen-

tibus inter impium dogma Calvinii circa reprobationem, & Catholicorum sententiam; inter quos nulla omnino est convenientia, sed potius contradictio, si cum distinctione procedatur. Primo Calvinus, loquens de probatione quoad omnem processum, & effectum suum, dixit, peccatum esse effectum reprobationis, & a Deo causatum; quod tamen ille discipulus S. Thomæ cum ipso Sancto Thoma, & catholica veritate omnino negat. Secundo, quia Calvinus dixit, Deum reprobare, inducendo ultimum effectum reprobationis, qui est æterna damnatio, pro arbitrio suo, absque prævisione peccati actualis, ex libera hominis voluntate patrati, solum propter originale. At vero Catholici asserunt, ultimum effectum reprobationis nec Deum inferre, nec inferre voluisse ante prævisionem originalis peccati, in parvulis damnatis; nec ante prævisionem peccati actualis in adultis, qui post baptismum damnantur; nec ante prævisionem peccati originalis, & actualis in adultis baptizatis. Unde in istis ex opposito adversantur invicem Catholici Doctores, & Calvinus. Asserunt præterea Catholici cum catholica veritate, nullam ex parte creaturarum posse assignari causam hujus copulati, cur videlicet iste sit prædestinatus, & non alius; cum ex parte eorum sit æqualitas. Unde quod iste sit prædestinatus, & non alter, sola causa est Divina voluntas, quæ hujus voluit misereri, & non alterius, ob sua alta judicia: quæ est perpetua doctrina Sancti Augustini lib. de prædest. Sanctorum, & S. Thomæ 1. p. quæst. 23. artic. 5. ad 3. unde, si hoc tantum dixisset Calvinus, non errasset. Affirmat etiam Dominicus Bannes citatus, quod reprobationis, quoad primum effectum suum, qui est permissio in peccatum, sola Divina voluntas est causa, etiam ante peccatum originale prævisum; quæ sententia a Catholicis Doctoribus, ut probabilis, defenditur, quam ipse non sine aliquo fundamento tribuit S. Thomæ. Licet ego crederem, Sanctum Thomam cum Sancto Augustino dixisse, reprobationem non fieri ante prævisionem peccati originalis, sed post prævisionem illius. Quod vero Dominicus Bannes arguit insufficientiam consequentiæ S. Augustini in hac materia, in hoc Dominicum Bannes non defendo, neque cum illo consentio, neque in modo ita loquendi, neque in re ipsa: quia illa consequentia S. Augustini optima est, & ut talis a me semper defendatur.

Decima septima objectio, sive collatio: *Supposita gratia efficaci, vel prædeterminante, voluntas non manet libera; nec conversio sequitur contingenter, vel dependenter ab arbitrio.* In præfatione circa hanc propositionem illud prænotatur, hanc propositionem pertinere ad consequens Calvinii. Calvinus enim, ut ajunt, diserte hominis libertatem negavit; at vero physica prædeterminatio coegit suos auctores semel, & iterum hoc ipsum affirmare, licet illud sæpe recusent. Ex quo & illud deducunt, quod si viros ita doctos coegit hæc sententia talia affirmare; quid de aliis sperandum erit, si talis sententia permittatur?

Respondeo, nullo modo Catholicos cum Calvino convenire: quia Calvinus, etiam ut fatentur, negavit, hominem libere consentire; ita quod ex efficaci Dei gratia intulit hoc hæreticum consequens, quod homo libere non consentit: Catholici vero semper in suis libris docuerunt, hominem, motum efficaci gratia, libere consentire. Unde quod primo paragrapho inducitur Avila dicens, quod non est nobis liberum, Divinam motionem efficacem non admittere, ipse in eodem contextu se declarat, dum ait, gratiam efficacem non esse, sicut gratiam datam Adamo,

quæ ei dabat tantum posse bene operari; ita quod ipsi liberum erat, ex se, tanquam ex se, operari, vel non operari: & in hoc sensu dixit, gratiam, nobis datam, non dare tantum posse, ita quod sit liberum nobis, tanquam ex nobis, de de facto illam accipere, vel acceptare. In 2. Paragrapho idem Avila opponitur, quod dixerit, non posse nos pro libito objectum, propositum per auxilium physicum efficax, a nobis, rejicere. In quo etiam loco se aperte declarat; agebat enim contra auxilium morale, quod homo potest, etiam loquendo de potentia, conjuncta cum actu, accipere vel rejicere: & in hoc sensu dixit, quod auxilium efficax physicum non possumus rejicere, potentia videlicet, quæ cum actu conjuncta sit; ita quod de facto illud rejiciamus, sicut auxilium morale rejicimus. In 3. paragr. idem opponitur auctor, quia dicit, quod, posito auxilio morali, semper manet voluntas libera, sive in sensu composito, sive diviso. Ex quo inferunt, illum sentire, posito auxilio physico efficaci, non manere voluntatem liberam in sensu composito. Ad quod respondeo, quod etiam se aperte declaravit in eodem loco: quod videlicet, posito auxilio physico, & efficaci, non manet voluntas libera in sensu composito, ad conjungendum videlicet cum tali efficaci auxilio contrarium dissentium, nec ad illud pro sua innata libertate inefficax pro libito reddendum, sicut potest facere circa auxilium morale. Et hoc tantum dicit in illis verbis: non autem negat, hominem, motum efficaciter a Deo, libere consentire ex libera facultate, quia semper potest dissentire, si velit, ut in libro illo suo multoties aperte docuit. Quod apertius ipse declarat in §. 4. inducto; ait enim: *Igitur firma fide tenemus, hominem, a Deo motum hoc auxilio mirabili, efficaci, & efficiens, physicoque, libere Deo vocanti assentire, & cooperari absolute, & simpliciter, & in sensu diviso. Similiter secundum fidem profitemur, nos necessario, infallibiliter (in sensu videlicet composito) consentire.* Quid clarius? dicit enim, quod, etiam postquam homo physice, & efficaciter a Deo moveatur, libere consentit, & cooperatur ex libera facultate; licet in sensu composito non ster simul movere efficaciter a Deo, & dissentire. Fateor tamen, quod non ita proprie, sicut debet, loquitur iste Sancti Thomæ discipulus; quia dicendum est, voluntatem in sensu composito liberam esse semper, ad tollendam invidiam propositionis, & sensum falsum, qui latere potest. In 4. §. opponitur Bannes, quia dicit, causas secundas contingentes, ut substantiæ determinationi primæ causæ, esse determinatas, & completas ad operandum, & habere necessitatem in sensu composito; licet in sensu diviso effectus earum absolute sint contingentes, & possint non evenire. Quæ doctrina catholica est, ut supra. In §. 5. opponitur Avila, quia dicit, quod, posito auxilio morali, possumus non consentire. Ex quo arguitur, quod per oppositum sentiat, quod, posito auxilio efficaci physico, non possumus non consentire. Ad quod Respondeo, quod in eodem §. inducto se aperte manifestat, dum hæc verba dicit: *Posita motione morali, hæc duo stant simul, quod Deus me moveat ad credendum, & ego non credam:* unde tantum sentit quod, posito auxilio efficaci physico, non stant hæc duo, quod Deus me movet ad consensum, & ego non consentiam. In quo sensu composito, sæpe a se ipso explicato, dixit illa verba, *quod non possum non consentire.* In §. 6. opponitur Nannus, qui dicit, quod, supposito Divino decreto, quo Deus ab æterno voluit convertere peccatorem, in hoc instanti bonus usus liberi arbitrii est infallibilis, nec dependet a voluntate indifferen-

(1) Davila.

ti ad utrumque. Ad quod respondeo, quod, supposito tali decreto, bonum usum esse infallibilem doctrina est catholica contra Pelagianos, tradita in terminis a S. Thoma 1. 2. quæst. 112. art. 3. Quod autem dicit ille, bonum usum non dependere a voluntate indifferenti, ita intelligit, quod non dependet primo, & per se a voluntate indifferenti, & libera, ut Molina, quem impugnat, dicit; sed quod primo, & per se dependet a Divino decreto; secundo autem, tanquam a proxima causa, dependet ille bonus usus a libera voluntate, a Deo mota.

Decima octava objectio, sive collatio: *Liberum arbitrium respectu Dei in operando se habet velut baculus, vel aliud instrumentum, quod nullum habet motum, nisi quem participat ab artifice.* In hac dicitur, convenire Catholicos relatos cum Calvino, imo cum Lutero, qui posuit, arbitrium mere passive se habere: oppugnanturque Catholici, quod sibi ad hoc intentum utantur Scripturæ testimoniis.

Respondeo, nullo modo Catholicos cum Calvino, vel Lutero in hac propositione convenire; quia hi hæretici dixerunt, hominis voluntatem ita esse Dei instrumentum, ut baculus, vel ferrum, quod, etiam postquam a Deo movetur, se ipsam libere non movet, nec libertatem suam exercet: Catholici vero dicunt, quod voluntas se habet ut instrumentum, velut baculus, quantum ad hoc, quod nunquam se libere moveat, nisi prius moveatur a Deo, & ad agendum applicetur: contendunt tamen, quod a Deo mota, sicut a prima causa, ipsa voluntas se libere movet: quod purum instrumentum non habet: quod ille discipulus S. Thomæ citatis factis apertis verbis sequentibus explicavit. Quæ sententia est non solum S. Thomæ perpetua doctrina 3. contra gentes cap. 94. & 149. & quæst. 124. de veritate art. 1. ad 5., sed etiam S. Cyrilli lib. 1. in Isaiam cap. 10. Immo Scriptura Sacra expressè habet, homines se habere respectu Dei, ut baculum. Unde mirandum est, quod opponant Reverendi Patres, quod Catholici utuntur in hac parte iisdem testimoniis, quibus Scriptura utitur, in sensu, quem Scriptura intendit juxta Sanctorum intelligentiam, non in sensu, quem sibi fingunt Calvinus, & Lutherus, ut dictum est modo. Itaque Pelagius non vult, voluntatem hominis instar instrumenti a Deo moveri; Calvinus facit illam purum instrumentum abique libertate sua; Catholici vero, utrumque damnantes, & mediam viam tenentes, ita fatentur, voluntatem a Deo moveri, ut instrumentum, ut non faciant illam instrumentum purum; sed ita quod mota a Deo, se ipsam libere moveat.

Decima nona objectio, sive collatio: *Ita admittendum est in homine liberum arbitrium, ut nulle ipsi partes in negotio justificationis relinquuntur.* In longissima præfatione ad hanc 19. propositionem referunt verba Molina, contra quem S. Thomæ discipuli dicunt, nullas partes relinquere libero arbitrio in negotio justificationis ad modum, quo illas Molina constituit.

Respondeo, nullo modo Catholicos in hac propositione cum Calvino convenire, sed ipsum æqualiter, & Pelagium condemnare. Calvinus enim negat, liberum arbitrium ulla liberam partem habere in negotio justificationis suæ; sed absque libertate justificari: Pelagius vero dicit, liberum arbitrium partes liberam habere in negotio justificationis, quas ex se ipso, & non ex Deo, aequaliter tribuente, habet: quem in hac parte Molina sequitur. Contra utroque autem Catholici induci, ut ex illorum verbis expressis constat,

media via procedentes, fatentur, liberum arbitrium habere quidem partes liberam in negotio justificationis; sed illas accipere ab efficaci præveniente gratia, quæ vere efficit, ut arbitrium illas partes liberam in consentiendo habeat in negotio justificationis suæ.

Vigesima objectio, seu collatio: *Effectus contingentes; prout subsunt Divinae providentiæ, & consilio, sunt necessarii, quævis ex natura sua habeant contingentiam.* In præfatione ad hanc propositionem iterum fatentur Reverendi Patres Societatis, hanc propositionem pertinere ad consequens Calvini. Ex providentiâ enim Dei intulit, tollit contingentiam; & libertatem a rebus. Itaque fatentur, hanc fuisse consequentiam Calvini: contingentes effectus subsunt Divinae providentiæ: ergo, quævis secundum suam naturam sint contingentes, tamen, ut subsunt huic Divinae providentiæ, nullam contingentiam habent, aut libertatem.

Respondeo, nullo modo in hac ultima propositione convenire Catholicos relatos cum Calvino; quia, ut dictum est in responsione ad propositionem, & alibi sæpe, Calvinus dixit, non omnia esse necessaria ex natura sua, id est, ante Divinam providentiâ prædeterminantem: at supposita Divina providentiâ, & consilio, ita evenire necessario, ut sine aliqua profusa libertate, & contingentia de facto eveniant: Quia pessime erravit in illatione, & consequenti; putat enim, Divinam providentiâ, & consilium libertatem hominis impedire; cum potius illam causet, atque perficiat. Catholici autem induci contendunt, neque effectus contingentes habere necessitatem ex natura sua, nec, supposita Dei providentiâ, & consilio, ita evenire necessario, ut sine libertate fiant: sed quod, supposita Dei providentiâ, necesse est, quod fiant, sive libere, sive contingenter, secundum quod Divina providentiâ fieri præordinavit. Itaque dicunt, quod adhuc, Divina providentiâ efficacissima supposita, liberam facultatem habet homo, qua libere exercet operationes suas; licet in sensu composito non stet libere operari id, quod Divina providentiâ ordinavit; & ex consequenti necesse sit necessitate conditionata, id fieri cum omni modo libero, quem Divina providentiâ preparavit. Quæ est perpetua S. Thomæ doctrina 1. part. quæst. 19. art. 8. ad 3. & S. Augustini, relati in eodem articulo ad 1. Itaque media via procedunt Catholici inter Pelagianos, & Calvinum, utroque æqualiter damnantes. Contra Pelagianos enim defendunt efficaciam Divinæ voluntatis, providentiæ, atque consilii, quæ ab homine non dependet in sua efficacia; & qua posita, necesse est, sequi effectum, sicut illa disposuit, ut sequatur: contra Calvinum vero dicunt, ex illa non lædi, sed perfici libertatem humanam.

CAPUT II.

Respondetur ad novem Limitationes, in quibus Catholici quidam Scriptores cum Calvino convenire dicuntur in sua temperanda doctrina.

DEinde in capite secundo illius Tractatus, cui & hoc nostrum secundum caput responderet, constituunt Patres societatis limitationes novem, in quibus asserunt, eosdem Catholicos cum Calvino convenire in modo etiam temperandi, & moderandi doctrinam suam: a quibus tamen facile me expediam, quia jam ex dictis patet aperta responsio.

Prima Limitatio: *Gratia Dei non tollit libertatem.*

bertatem a coactione. In hac dicunt, Catholicos cum Calvino convenire in variis locis, ibidem citatis.

Respondeo, frivolum esse istam oppositionem, seu limitationis comparationem: quia Calvinus coactionem proprie dictam, quæ violentia est, in locis inductis tantum excludit a libero arbitrio; non vero coactionem large sumptam, quæ ipsa necessitas est absoluta, auferens libertatem. Catholici vero inducti omnem coactionem, & propriam causantem violentiam, & communem parientem necessitatem, & tollentem libertatem excludunt ab arbitrio. Frequentissimum est enim apud Catholicos, nomine coactionis utramque intelligere. Sed quod magis est, in §. preparatio, in quodam discipulo S. Thomæ damnant varia, tanquam cum Calvino convenientia, quæ sunt desumpta ex S. Thomæ de verbo ad verbum 1. 2. quæst. 112. artic. 3. quibus ita dicit: *Preparatio ad gratiam si consideretur, secundum quod est a Deo movente, habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis.* Quæ verba S. Thomæ esse, Patres Societatis, qui hoc ordinant scriptum, ignorare non possunt; & tamen audent S. Thomæ expressè verba cum Calvino in ista prima limitatione conferre, ut clarius constet, quo illorum tendat intentio.

Secunda limitatio: *Hujusmodi gratia efficax non inducit fatum: quidquid contra Augustinum dixerint semipelagiani.*

Respondeo, non minus inutilem videri hujus secundæ limitationis comparationem: quia Calvinus, ut ex verbis inductis fit manifestum, Stoicam illam fatalem necessitatem, in siberibus constitutam, sive in causam ferre positam, negat, non autem Divinam voluntatem, necessitantem hominis voluntatem, & ab ea libertatem auferentem. Catholici vero omnem fatalem necessitatem, sive in siberibus constitutam, sive in ferre causam, sive in Dei providentiâ, ac voluntate, quæ libertatem auferat humanam, & large fatum appellari possent, negant omnino: Unde totaliter Calvino contrariantur. Hæc vero est sententia S. Augustini lib. 2. ad Bonifacium cap. 6. ita dicens: *Fatum quippe qui asserunt, de fiderum positione ad tempus, quo concipiunt, quisque, vel nascitur, (quas constellationes vocant) non solum actus & eventa, verum etiam ipsas nostras voluntates pendere, contendunt: Dei vero gratia non solum omnia fidera, & omnes celos, verum etiam omnes Angelos supergreditur. Deinde fati asserentes & bonis, & malis hominum fato tribuunt: Deus autem in malis hominum merito eorum debita retributione prosequitur; bona vero per indebitam gratiam misericordiam voluntate largitur; utrumque faciens, non per stellarum temporale consorium, sed per suam severitatis, & bonitatis æternam, atqueque consilium. Neutrum ergo pertinere videmus ad fatum.* Quibus verbis & Pelagianorum, & Molina, qui ipsi, & ejus discipulis fatum imponunt, vanam oppositionem recludit.

Tertia limitatio: *Voluntas potest dissentire, & resistere gratiæ absolute, non tamen in sensu composito.*

Respondeo ex dictis ad 2. & 3. propositionem, seu objectionem principalem, patere apertam responsionem, & manifestam Catholicorum a Calvino differentiam. Calvinus enim non admittit sensum divinum, supposita efficaci gratiâ; sed sensum divinum dicit esse ante gratiam: & hoc modo solum admittit hominis libertatem. Gratiâ autem supposita, asserit, semper esse sensum compositum, libertatem omnino auferentem: cum quo conveniunt novi isti Collatores, qui hoc modo intelligunt sensum divinum, atque compositum: Catholici vero utrique pariter adferantur, affirmantes, etiam supposita efficaci gratiâ, debere distinguere sensum divinum a composito; & supposita gratiâ, posse voluntatem dissentire, si velit: quia, etiam supposita gratiâ, liberam facultatem habet ad dissentendum: qui est sensus divinus. In sensu autem composito, dicunt, non posse dissentire, id est, fieri non posse, quod efficaciter moveatur, & dissentiat; nec enim libertas hominis consistit, aut consistere potest in simul conjungendo, & componendo illa duo impossibilia, videlicet efficaciam gratiæ, & simul dissentium. Addo, Calvinum per sensum compositum, quem impossibilem dicit, intelligere conjunctionem gratiæ efficacis cum ipsamet potentia dissentendi: e contrario autem Catholicos adductos intelligere conjunctionem prædictæ gratiæ cum actuali dissentiu, quam solum impossibilem dicunt.

Quarta limitatio: *Deus non movet homines, ut bruta, vel ut stiptes.*

Respondeo, hanc propositionem, a quocumque dicatur, veram, & catholicam esse. Unde in illa Calvinus non erravit; nec cum illo, sed cum veritate catholica conveniunt, qui illam asserunt. Erravit ergo Calvinus, quia asserens, Deum non movere homines, ut stiptes, amplius dixit, Deum illos movere spontaneo motu, non libero, qui in libera eorum potestate sit positus. Catholici vero dicunt, non solum non movere Deum homines, ut bruta, vel stiptes; sed contra Calvinum defendunt, Deum illos movere non solum spontaneo motu, sed etiam vere libero, & cum libera potentia, in cuius potestate actus liber sit constitutus.

Quinta limitatio: *Liberum arbitrium non se habet, ut inanime quoddam; nam effective producit actum, quævis in recipiendo, seu acceptando gratiam habeat se mere passive.*

Respondeo, absque fundamento, & causa in hac limitatione asseri, Catholicos cum Calvino convenire. Calvinus enim ita fatetur, arbitrium non se habere, ut inanime quoddam, ut asseret, illud mere passive se habere in acceptanda gratiâ, & effective actum producere sine libertate, ut dictum est sæpe. Catholici vero dicunt, non se habere arbitrium, ut inanime quoddam, seu mere passive, contra Lutherum; & effective actum proprie liberum producere, contra Calvinum; & gratiam libere acceptare, contra eundem. Dicunt tamen, a Deo moveri, & agi, & in hoc aliquo modo se habere passive: quod tum ex Scriptura Sacra deducunt: *Qui filii Dei sunt, Spiritu Dei aguntur; tum ex Philosophiæ principis; agi enim, & moveri, non est agere, sed aliquo modo pati; licet agantur, ut agant, ut loquitur S. Augustinus, non ut ipsi nihil agant.*

Sexta limitatio: *Hæc gratia efficax non ita movet, ut tollat indifferentiam judicii.* In præfatione ad hanc sextam limitationem illud prænotant, Catholicos inductos exillimare ad arbitrii libertatem nihil aliud requiri præter judicii indifferentiam; Calvinum vero, illa judicii indifferentiam admittit, adhuc asserere, non manere in homine libertatem.

Respondeo, imponi Catholicis relatis illos sentire, ad arbitrii libertatem tantum requiri indifferentiam judicii; cum pessissime in suis libris asserunt, in judicii indifferentiam radicem libertatis consistere, non libertatem ipsam formalem; quia ista sita est in indifferentia activa voluntatis ad agendum, vel non agendum; & ad agendum

dum hoc, vel illud. Afferunt tamen citati auctores Catholici, posita indifferentia iudicii ex parte intellectus, quæ radix libertatis est semper, ex tali radice oriri in voluntate actualem libertatem, qua formaliter ipsa sit actualiter libera. Calvinus autem, contrarius ex parte intellectus indifferentiam iudicii rationis, ex illa debebat inferre actualem libertatem; quam quia negavit, non solum in fide erravit, sed etiam in Philosophiæ principis. Unde cum illo conveniant, qui contendunt modo, posita indifferentia iudicii rationis ex parte intellectus, non consequntur actualem libertatem formalem ex parte voluntatis, sicut Patres Societatis contendunt. Præterea quod Calvinus inducitur, tanquam admittens electionem voluntatis, & similiter Kennitius, relatis in præcedenti limitatione, qui eandem limitationem videtur admittere, nihil omnino juvat; quia, ut pessimus philosophus, putavit Calvinus, dari electionem sine libertate. Quod enim electionem ipse constituit, ex relatis verbis constat: quod autem non admittat electionem, ut liberam, RR. Patres, qui ista opponunt, in hac limitatione aperti verbis fatentur. Imo Calvinus ipse ait lib. 2. Infit. cap. 3. num. 10. *Voluntatem movet Deus, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis, motum aut obtemperare, aut refragari.* Quibus verbis nostram aperte negat electionem. Si ergo alibi illam admittit; sentit, illam necessariam esse, & sine libertate: vel sibi ipsi contrarius est, ut similes sibi contrariari solent. Præterea non videtur Calvinus, electionem, quæ sit actus libertatis, admittere citatis verbis; quia dicit, quod iudicium discernit, & eligit; cum tamen electio formalis actus sit voluntatis, non iudicii, licet præsupponat iudicium.

Septima limitatio: *Hæc gratia non tollit libertatem, & fructum adhortationum, & satisfactionum.* Respondeo, Calvinum a Catholicis convinci, consilia, & adhortationes frustra admittere; quia negat hominis actualem libertatem. Unde voce duntaxat illas affirmat; quia videt, ea, cum in Scriptura aperte tradantur, se negare non posse. Ex quibus exhortationibus vel convinci poterat Calvinus ad veram, & propriam libertatem defendendam. Catholici vero citati cum inductis verbis expresse affirmant, ideo utiles, & necessarias esse exhortationes, & satisfactiones, quia homo, etiam supposita gratia efficaci, liber est in consentiendo, & libertatem habet ad operandum; frustra illis opponit Collator, quod exhortationes, & satisfactiones negent; sicut frustra a Pelagianis S. Augustino, defendenti efficaciam gratiæ, opponebatur antiquitas, quod exhortationes ipse negaret, referente ipso S. Augustino, & S. Prospero, & Hilario. Magna ergo differentia est inter Catholicos, & Calvinum; quia Calvinus libertatem negat, & exhortationes sola voce admittit: Catholici autem libertatem hominis vere contra Calvinum prædicant, & exhortationum utilitatem, & necessitatem in veritate defendunt.

Octava limitatio: *Deus non est auctor peccati, nec malitiæ ipsius, quantumvis hominem ad illud moveat, quia semper bono fine id facit.* Respondeo, nullo modo convenire Catholicos cum Calvinus; imo invicem opponi. Calvinus enim dicit, Deum movere homines ad peccandum, & inficere illorum voluntatem in malum culpæ; licet, ut se excuset, præterdat, Deum non esse auctorem peccati, quia id bono fine facit; nec Deum peccare, quia subditus legi non est. Contra ipsum autem Catho-

ci omnes dicunt, Deum non movere ad peccatum, nec ad malum culpæ: in quo illi totaliter opponuntur, ipsumque convincunt, quod si Deus ad peccandum homines moveret, (quamvis Calvinus verbis se excuset) necessario sequeretur, quod Deus esset auctor peccati, & quod ipsi peccatum imputaretur. Dicunt præterea Catholici contra Pelagianos cum S. Thoma in 2. sent. distin. 37. artic. 2. & in 1. 2. quæst. 79. artic. 2. Deum movere homines ad actionem, quæ est in peccato, quatenus entitas, & actio est: nec ex hoc aliqua ratione sequi, quod ad peccatum moveat, ut pessime Calvinus intulit; & absurde modo cum illo in hac pessima illatione conveniens novis iste Collator inferre contendit.

Non limitatio: *Doctrinam hanc, etsi non intelligatur, credendam esse.* Respondeo, extrema omnia vitanda esse, cum eorum, qui pravam, & novam doctrinam introducentes, fœdant, ut homines illam, quamvis non intelligant, credant; tum eorum, qui in rebus pertinentibus ad fidem, & propterea obscuritatem habentibus, nihil recipiunt, nisi prius videant. Sicut ergo Calvinus impium suum dogma, (quo arbitrii auferrebat libertatem; & Deum movere ad peccatum, sed non esse peccati auctorem, contendebat) fide tenendum, aiebat, licet non intelligatur: ita Pelagianis efficaciam prævenientis gratiæ cum humana libertate stare, negabant, quia non intelligebant. Atque nunc istis similia sentiunt, qui dicunt, se non videre, quomodo arbitrii libertas stet cum efficaci Dei gratia; & propterea illam negant. Catholici autem inducti dicunt, quod, etsi non intelligant; credunt propter Scripturarum, & Patrum auctoritates. Non tamen dicunt, hoc ita esse credendum, sicut creditur Trinitatis Mysterium, ut eis Collator imponit; quia inducta verba eorum hoc non affirmant; sed solum quod non ita menti humanæ, rem naturaliter examinanti, plana, ac pervia sit ratio, & modus conciliationis libertatis nostræ cum gratia; & quod tamen credi debeat. Quod si de hoc reprehenduntur, reprehendatur etiam S. Augustinus, & cum Calvinus convenire dicatur; quia in hac eadem materia, & causa, contra Pelagianos dicentes, se non intelligere, ita dicit: *Nunquid ideo negandum est, quod apertum est? Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus non ita esse; quoniam cur ita sit, non possumus invenire?* Et lib. 3. de peccatorum meritis, & remissione cap. 4. iterum ait: *Ego autem, etsi resellere istorum argumenta non valeam; video tamen, inherendum esse his, quæ in Scripturis sunt apertissima, ut eis revolvantur obscura; aut si mens nondum est idonea, quæ possit ea vel demonstrata cernere, vel abstracta investigare, sine ulla hesitatione credantur.*

CAPUT III.

Respondetur ad factam collationem in modo argumentandi Calvinus, & quorundam Scripturarum Catholicorum.

In tertia collationis suæ capite comparat prædictus Collator viginti quinque argumenta, quibus dicit, Catholicos cum Calvinus convenire: octo videlicet ex Scriptura, duo ex Conciliis contra Pelagianos, alia ex Sancto Augustino, & rationibus Theologicis. Ad quæ longum esset per singula respondere: Unde ad ea sub brevitate dicimus, frustra laborare Collatorem, ut a Pelagianorum errore sententiam suam

suam reddat immunem, & contrariam cum Calvinus convenire, offendat. In hoc enim ad tales angustias reducit animum religiosum, ut vel cum Pelagianis neget efficaciam prævenientis gratiæ, quæ vere faciat, non facere; & solum admittat illam, moraliter, seu metaphorice attrahentem, quam Pelagianus ponebat; vel cum Calvinus neget hominis libertatem: quia utrumque, & efficaciam prævenientis gratiæ, vere efficientem, ut faciamus, & libertatem arbitrii, simul stare, reputat impossibile. In quo non solum cum Pelagianis, sed cum Calvinus cognoscitur convenire: utriusque enim male iudicantur, nullam aliam viam mediam esse securam inter Pelagianorum nefandum errorem, & Manicheorum, seu Calvinitarum impiam hæresim.

Igitur omnia ista coæservata viginti quinque argumenta, quæ in hac collatione ponuntur, ad quatuor capita reducenda videntur. Quædam enim ex Scriptura desunt, quædam ex Conciliis inducit, alia ex S. Augustino deceptis, & tandem alia ex aliis rationibus confert. Et ad omnia generali quadam solutione respondeo; quia ad eundem finem ordinantur omnia, & sub eadem fallacia, & æquivocatione procedunt omnia.

Ex Scriptura itaque proponit, Catholicos, & Calvinum uti illis testimoniis: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro omni bona sua voluntate; & illo: faciam, ut faciatis;* & illo: *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti?* & illo: *Nemo potest venire, nisi Pater meus traxerit eum;* & illo: *Ego sum vitis, & vos palmites;* & illo: *Cor mundum crea in me, Deus;* & illo Apostoli: *Creati in operibus bonis;* & illo tandem: *Cor Regis in manu Domini: ad quodcumque voluerit, vertet illud.* Ex quibus talem formavit collationem: ad efficaciam prævenientis gratiæ, a libero arbitrio independentem stabilendam, & arque firmandam; utuntur Catholici his Scripturæ testimoniis; & etiam Calvinus: igitur Catholici cum Calvinus conveniunt.

Deinde in secundo loco illud opponit argumentum ex 4. Canone Concilii Arausicani, quo definitur, *Deum non expellere voluntatem nostram, ut a peccato purgenur;* & ex aliis illius Concilii definitionibus: conferens in istis definitionibus Catholicos cum Calvinus; quia idem argumentum utriusque, ut pretendit Collator, ex illis consistunt.

In tertio tandem loco multa congerit ex S. Augustino testimonia, quibus argumentantur, ut ait, Catholici, & Calvinus in hac parte, in his omnibus argumentandi generibus ad invicem convenientes. Et tandem, quasi absoluta collatione concludit prædictus Collator, in omnibus Catholicos cum Calvinus convenire.

Ad quod ita respondeo, non solum Catholicos relatos, verum etiam Sanctum Augustinum eisdem uti Scripturæ testimoniis, ad defendendam contra Pelagianos, inimicos gratiæ Christi, ipsam Christi Domini gratiam. Unde non discipulos S. Thomæ, sed ipsum S. Augustinum, suppresso nomine, in hac collatione, cum Calvinus componit. Valde ergo diversum est, quod impius Calvinus ex his testimoniis Scripturæ, & aliis deducit, & quod Catholici doctores cum S. Augustino inducunt. Calvinus enim prædicta testimonia inducit, ad fundandam efficaciam prævenientis gratiæ, auferentem arbitrii libertatem, ut ex supradictis est apertissimum: S. autem Augustinus, & Catholici adducti in illa collatione, qui illius sequuntur doctrinam, hæc testimonia inducunt

Serry Tom. II.

contra Pelagianos, & Calvinum simul, ad defendendam efficaciam prævenientis gratiæ, vere efficientem, ut faciamus, & optime salvantem hominis libertatem. Unde utrumque perversum Calvinitarum, & Pelagianorum dogma productis testimoniis, & argumentis perinde resellunt.

Respondeo 2. Calvinum sensisse, nullam aliam esse viam inter suam impium errorem, & nefandam Pelagianorum hæresim. Unde videns Catholicos suo errori contrarios, falso eis imposuit, quod cum Pelagio sentirent, & istum, a se Catholicis affictum, errorem impugnavit ex multis Scripturæ testimoniis, Conciliorum, & S. Augustini, quibus ipse S. Augustinus iuste, & sancte hæresim Pelagianorum oppugnavit, iidem prorsus argumentis utendo. Distinguenda sunt ergo in Calvinus tria: 1. quem errorem Catholicis falso imponat: 2. quibus argumentis illum impugnet: 3. ad quem alium errorem ipse declinet. Errat ergo, quia falso catholicis imponit, quod errorem teneant Pelagianorum. Hac autem falsa suppositione facta, recte Pelagianorum errorem ex Scripturæ testimoniis, & Conciliis, & S. Augustini sententiis impugnat, sicut iuste in Pelagianis illum S. Augustinus impugnat, & catholici Scriptores inducti in Molina resellunt.

Differunt ergo Catholici a Calvinus in istis omnibus argumentis: 1. Quia Calvinus putat, sicut Pelagianus putavit, nullam aliam esse viam mediam tenendam inter suum errorem, & Pelagianorum damnatam sententiam: Catholici autem, in hac collatione relati, contra utroque affirmant, mediam viam Catholicam esse tenendam inter utrumque extremum errorem, quæ utroque pariter damnat. Differunt 2. quia Calvinus Catholicis imponit, quod cum Pelagio sentiant; & hostem fingit, quem iniuste feriat, utens ad hoc iidem argumentis, quibus S. Augustinus contra veros Pelagianos usus fuit prius: Catholici autem inducti in Molina verum errorem Pelagianorum, quem habet expressum, iuste oppugnant, recte utendo iidem omnino argumentis, quibus S. Augustinus prius illum errorem devicit. Differunt 3. quia Calvinus, arguens Pelagianorum errorem, quem in Catholicis fingebat, ad aliud impium divertit extremum, ut dictum est modo: Catholici autem inducti, recte impugnant in Molina, & in omnibus ejus doctrinam defendentibus, Pelagianorum errores, ad alium Calvinus extremum non divertunt; sed æqualiter illum anathematizant, & cum S. Augustino, & catholica veritate mediam, & securam viam sequuntur.

Nec fuit timendum Catholicis, ne iuste uterentur Argumentis Scripturæ, Conciliorum, & S. Augustini, adversus fuscitatem temporibus istis Pelagianorum hæresim; eo prætextu, quia iniuste iidem illis Calvinus uritur contra Catholicos, ut destructa Pelagianorum hæresi, quam illos tenere putabat, suam impiam stabiliret. Valde enim familiare hæreticis fuit, ut Catholicorum arma præoccuparent, & in contrarium sensum infunderent; ut sic exterriti Catholici, qui ista distinguere non valent, illa non apprehenderent. Quod pulchre S. Augustinus lib. 2. adversus litteras Periclitiani, cap. 77. his verbis describit: *An ideo arma ista nostra non erunt, quia vos ea præoccupare conamini? Prorsus hæc tela vicia sunt: unde quocumque jactentur, agnoscuntur, quos perimant. Si a vobis missa fuerint, in vobis hærebunt: si a nobis mittuntur, in vos retorquentur.* Hæc S. Augustinus. Similiter ergo dicendum. An ideo arma ista, quæ in relatis viginti quinque Argumentis ex Calvinus opponuntur, arma nostra adversus Pelagianos non erunt, quia ea Calvinus ad suam im-

Fff 2 pium

pium intentum, & finem preoccupare conatur. Profus a quocumque jactentur, veros ferunt Pelagianos. Nec enim Calvinus in impugnando ex hujusmodi argumentis Pelagianorum errore, male egit, sed in hoc cum Augustino consensit. Impietatem enim Pelagianorum non solum Catholicis detestantur, verum etiam haeretici omnes, qui non sunt Pelagiani. Unde & Calvinus in hoc recte fecit, Pelagianis contradicendo: sed aliunde dupliciter erravit: primo, quod Catholicos falso Pelagianorum nomine criminatus est: secundo, quod in extremum errorem, liberum arbitrium oppugnando, delapsus est: Sicut per oppositum, Impietatem Calvinianam non solum fides Catholica detestatur, sed haeretici omnes, qui non sunt Calvinista. Unde & Pelagiani etiam Calvinum anathema dicunt: nec in hoc errant; sed quod falso Catholicos Calvinistarum nomine criminantur. Sicut ergo, quia Pelagius adversus Manichaeos, negantes hominis libertatem, eandem hominis libertatem plurimis Scripturae testimoniis, & rationibus aliis probavit; S. Augustinus, & omnes Catholici auctores a nullo sana mentis arguuntur, quod cum Pelagio conveniant; ita per oppositum, quia Calvinus contra Pelagianos, negantes Dei gratiae efficaciam, illam probat ex Scripturae testimoniis citatis, & Conciliis praedictis, & ex S. Augustini momentis, quibus perinde Catholici Scriptores utuntur; isti a nullo sana mentis argui possunt, quod cum Calvino conveniant.

Quis autem non miretur, interdicti Catholicis ab illo novo Collatore, ne deinceps utantur illis octo Scripturae locis, quibus, tanquam fundamentis, usus est S. Augustinus ad haeresim Pelagianorum debellandam, ac profigendam? Interdicti, ne Concilio utantur Arausicano, & S. Augustini momentis contra Pelagianos? Jam ergo, si placet, quisquis dixerit: non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; & ut totum detur Deo, sicut semper praedicat S. Augustinus, & non pars Deo, & pars homini tribuatur: cum Calvino convenire censetur, quia hoc ipsum Calvinus dixit? Quisquis dixerit: omnis, qui auditus a Patre & didicit, venit ad me, (ex quo testimonio S. Augustinus efficacem Dei gratiam prevenientem aperte deducit cum Calvino, qui similiter idem tenet, convenire dicitur? Quisquis dixerit: Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro omni bona sua voluntate, (ex quo loco S. Augustinus Pelagium impugnat) cum Calvino, qui eodem utitur testimonio, convenire praedicabitur? Quisquis dixerit cum Apostolo: quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti? (quo testimonio S. Augustinus de Pelagianis triumphavit) jam cum Calvino, qui eodem utitur testimonio, convenire dicendus erit? Ac tandem S. Augustini libris non licebit uti, nec discis Conciliorum, nec Scripturae testimoniis, quibus damnatur haeresis Pelagiana, quia eis usus est Calvinus? Gravius hoc est, quam sonare videtur; quia enervare isti Collatores procurant omnia Ecclesiae arma, quibus Pelagianos, inimicos gratiae Christi, debeat impugare.

Quia ergo ostendi, Catholicos doctores a Calvinitarum errore esse profus alienos; quia ostendi, ipsos aequaliter Pelagianos, & Calvinistas damnare, & utrique pariter adversari; quia ostendi, quantos, & quales Ecclesiae doctores novus iste Collator falso nominet Calvinistas; quia ostendi, antiquissimum hoc bellum a Juliano, Cassiano, & Fausto, immo Pelagio ipso fuisse adversus S. Augustinum publicatum, & per Ecclesiam Sanctam feliciter superatum; jam nunc summa bre-

vitae ostendam, quantum iste Collator veros adjuvet Calvinistas.

Et primo testimonium procedit insignis Lovaniensium Academiae, quae in sua quadam Confutatio adversus hanc, quam Collator defendit, doctrinam, ita de illa post multa concludit: sententia haec Divinam bonitatem obscurat, justitiam enervat, Scripturis illudit, Patrum testimonia in sensus alienos detorqueat, humane rationis corruptioni applaudit, humilitatis fundamentum evertit, predicandi necessitatem non magnam relinquit, propriam virtutum fiduciam ingenerat, in salutis negotio, quod precipuum est homini donat, quod minus Deo, & gratiam Dei libero subdit arbitrio, ac ejus pedissequam facit: in summa a Pelagio non procul abscedit; Lutheri vero, & Calvinii, ac reliquorum nostrae temporis haereticorum sententiam, dum ab ea videri vult quam longissime recedere, potentiusque debellare, magis etiam imprudens stabilit, atque confirmat. Ita confirmat, & stabilit haec sententia damnatam Calvinii doctrinam, dum absurdam illius illationem, & haeticam consequentiam, (qua ex efficaci Dei gratia, independente ab hominis voluntate, intulit, auferri hominis libertatem) approbando, contendit, illum in illo pessimo ratiocinandi modo non errasse. Quid enim jam ultra desiderat audire Calvinus; quam quod ex efficaci antecedenti gratia tollatur libertas, ad suum firmandum errorem? Quia antecedens, quod videlicet sit gratia Dei efficax, ipse ex Scripturis, & Conciliis, & S. Augustino aperte probavit: unde in suo errore apertissime confirmabitur.

Non fuit autem hoc ipsum S. Hieronymo occultum antiquitus, cum in Epistola ad Cresiphontem respondens huic argumento, quo Pelagiani ipsum libertatis destructorem appellabant, ita respondet: Quod autem suscipimus, deorsumque jactant, liberum a nobis arbitrium destrui; audiant e contrario, eos arbitrii destruttore libertatem, quia e male utuntur adversus beneficium largitorum. Ecce S. Hieronymus docet aperte, Pelagianorum sententiam via occulta arbitrii libertatem, quam verbis praedicat, re ipsa cum Manichaeis, atque ita cum Calvino destrueret.

Quod etiam comprehendens S. Augustinus, & Pelagianorum destruens imposturas, quibus Catholicis Manichaeorum, & consequenter Calvinistarum errores imputabant, ita de illis dicit lib. 2. ad Bonifacium, cap. 1. ut Pontifex summus illos aperte cognosceret: Quid opus est, ea quae oque resellere, quod dogmatis eorum insidiosa venena non continent; sed tantum in auxilium suum, vel pro catholica fide contra Manichaeorum, sicut loquuntur, profanitatem, consensionem Orientalium Episcoporum videntur exposcere: nihil aliud nitentes, nisi ut horribili haeresi obiecta, cujus se adversarios confingunt, lateant inimici gratiae in laude naturae? Ecce Beatissime Pater, S. Augustinus plane affirmat, qui hanc modo objectionem opponunt, confingere, se adversarios haeresis Manichaeorum, ac proinde Calvinistarum; cum tamen ita non fit, sed illorum potius adjuvent partes: ut idem Sanctus Doctor lib. 1. adversus Julianum, cap. 1. loquitur de ipso Juliano Pelagiano, cujus in omnibus Molina videtur tenere sententiam, & qui frequentissime S. Augustino hoc ipsum argumentum opponebat, quod cum Manichaeis conveniret, & hominis libertatem negaret, ita concludens: Deinde monstrabo, quod tu ipse sic adjuvas Manichaeorum damnabilem, & nefanda impietatis errorem, ut nullum talem patronum nec in suis dilectionibus valeant invenire. Cujus S. Doctoris auctoritate, & rationibus suffultus ostenderem modo, novum istum Collatorem, qui catholicos, jactat, cum Calvino convenire in sententia, quam tenent, ita imprudenter erroribus Calvinii communicare, ut

nullum talem inter Calvinistas ipse teneat patronum, ac defensorem. Sed quia tempus est, ut huic brevi Opusculo finem imponam; quia id expressis verbis docet Augustinus, tanti Doctoris auctoritate videtur id sufficientissime comprobatur. Aliam duntaxat addam auctoritatem ex Concilio Carthaginiensi, contra Pelagium celebrato, in quo Patres congregati ita Innocentio I. scribunt: Id enim isti agunt damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in sacrilegam superbiam extollendo liberum arbitrium,

nullum relinquunt locum gratiae Dei, qua Christiani sumus, qua & ipsam nostrum voluntatis arbitrium vere sit liberum. Non ergo differunt, licet verbis id jactent; sed in superbiam sacrilegam liberum hominis arbitrium praecipitant; ut S. Augustinus loquitur etiam alibi, nempe lib. 1. ad Bonifacium cap. 2. & 40.

Omnia ista, Beatissime Pater, sicut & caetera quaecumque mea humillime ad pedes Sanctitatis vestrae constituo.